R. 7. 5.

IN GALENI LIBRVM, DE CVRANDI RATIONE PER SANGVINIS MISSIONEM. INCIDENDARVM VENARVM TYPVS: MEDICIS OMNIBVS APPRIME NECESSARIVS.

Io. Franciſco Rota Authore.

VIRTVTE

AFFECTVS



SVPERANTVR.

Impreſſum Bononiæ apud Anſelmum Giaccarellum. M. D. LII.

IO. FRANCISCVS ROTA ARTISTARVM ET MEDICOrum Bononienſium nobiliſsimæ Vniuerſitati. Fœlicitatem præcatur.

VT in Remp. honeſtam, ſuisq; omnibus numeris abſolutam, Nobiles & ignobiles; Ciues atq; artifices ſic ſuas quaſcunq; conferunt operationes, ut eorum officia (tametſi hi omnes ordine, ſeiuncti ſint) ſibi mutuo neceſſaria uideantur, quaſiq; coniuratione quadam coniuncta, in eam conſpirare. Ita prorſus & mihi in hac noſtra Rep. literaria faciendum eſſe uidetur: ut omnes pro uirili aliquid in communem uſum proficere contendamus, nihil aut maximum, aut minimum, quod uel utile, uel neceſſarium uideatur, prætereuntes. Hinc præſentem ego qualemcunq; commentationem, uobis propono: eaq; potiſsimum ratione, quod fortaſſe, celebriores iſti patres læuia hæc, tametſi neceſſariiſſima, tractare dedignarentur. Scripta autem hæc intelligatis, non quidem medicinæ prouectioribus, ſed candidatis tyronibus. Vobis uero ideo deſtinata, ut illud authoritatis, quod ijs deeſſe cognoſco, ſibi acquirant. Scio etenim non deffuturos eſſe, qui quam primũ, uel etiam in limine, ab hoc meo connatu ſalutati fuerint, me ambitioĩs acuſent, qui læuia hæc, quoniam grauiora non haberem, prodiderim: quibus non reſpondere, modeſtius eſſe cen-

ſui. Etenim in hac re inanem & popularem auram; an attendam, ſum mihi ipſi conſcius. An uero maiora habeam, quæ in huius Reip. utilitatem cōferre poſſim, ubi perſpectum habuero uos hæc læuia non deſpicere, ad grauiora animum conuertam. Atq; quædam ſanè dabo, quorum inſcriptiones, fortaſſe his, qui mihi continuo inuidiæ aſilo perciti, detrahere ſtudēt, nondum perſpectæ ſunt. Valeatis tandem huiuſcæ Reip. literariæ nobilisſimi Ciues. Rotamq; ueſtrum diligite. Data Bononiæ ex ædibus noſtris, Quarto nonas Octobris M. D. LII.

SANguinis euacuatione, infinitos prope morbos, in dies ſanari, experientia demonſtrat: hunc autem nullum medicamentum, ſuaptè natura, trahere, (quod ſciamus) nactum quum ſit, ſcalpellis, cucurbitulis, hirudinibusq́; euellere ars adinuenit. Siquidem uenis, quæ ipſum tanquã riuuli per uniuerſum corpus deriuant, punctim, cæſim ue uulneratis, impetuoſe ſanguis erumpit; cuti conciſa (cui tandi uacui gratia) cucurbitulis extrahitur. Atq; hauſtu idem hyrudinum ſugitur. Venarum uero aliæ quum altius recondantur, nec citra multarum partium conſectionem, in conſpectum ueniant, ſanguinis miſsioni incommodæ iudicantur. Aliæ autem quum per corporis ſuperficiem excurrant, ſenſibusq́; præter alicuius partis incommodum, manifeſte ſeſe exhibeant, huic uſui quam aptiſsimæ ſunt. Atq; iſtas, licet non eundem prorſus locũ ſemper, aut in omnibus adſeruent, delineare tamen ea ratione operæpretium duxi, qua plurimum ſitæ conſpiciuntur. Hocq́; maxime ut poſtac non ſolum commentarijs, uerum & hac delineatione edocti, ineptos tonſores, ad quos tam neceſſari um opus relegatum eſt, ſi quandoque dabitur occaſio, dabitur enim ſæpiſsime, redarguere, & corripere poſsitis. Multæ igitur quum ſint corpus noſtrum ſuperficietenus excurrentes uenæ à multis itaq; (licet nõ ab his omnibus æque) ſanguinẽ exhaurimus: Harum etenim ſæpius alias ferro precidimus, alias rarius: immo & alias nuſquã ferro attingimus, ſed ſolis hirudinibus ſanguine euacuamus. Quæ nam uero iſtæ ſint, & quæ nam ille, exponere iam, oſtendereq́; aggrediamur: inſuper ferramentorum etiam, rerumq́; aliarum ad hunc uſum

neceſſariarum delineationes appoſitæ, adiicientes. [a] Vena igitur, quam dolenti partē capitis poſteriorem, ſecandam Hyppocrates iubet, ea eſt, quæ plerunq;, ab utrarumq; exteriorū iugularium propaginibus, per internos oculorum angulos, ſurſum deductis conflatur. Atq; ex hac, ſanguinem ſic detrahimus. Capite fomentis adiuto, ligamine ceruicem uincimus, digitis ſuper gutur interpoſitis, ne ſuffocatu ægri intereant: Iamq; uena turgente in fronte, acie ſcalpelli diuiditur, inciſione nec recta omnino, nec omnino tranſuerſa, ſed obliqua: partim ſcilicet recte, partimq; transuerſim facta. Cæterum huic uenæ, nullum aliud quàm frontis, uel apud modernos peculiare, propriumue nomē inuenio. Fortaſſeq; noſtris temporibus nemo eſt qui hanc ſecauerit uel unquam ſecari iuſſerit: quum tamen in capitis doloribus, maximo uſui eſſe eius ſectio credatur. Ex autem huic oppoſita regione, aut incipiētes, aut etiam uigentes in oculis inflammationes, per cucurbitulam, in ceruice ſcilicet procurata retractio, interim quidem ſolam, interim cum ſacrificatione, mirifice iuuantur. Venam ſiquidem, quæ hanc partem percurrit, & quam, qui caput naui adſimilant, puppis uenam nominant, quoniam non ſatis manifeſta appareat, potius cucurbita, quàm ſcalpello, inaniendam Galenus cenſuit. A tribus itaq; uenis (nil enim intereſt uel uenas, uel ramos appellemus) quæ omnes exteriorum iugularium tempora excurrentiū, ſurculi ſunt. Atq; quarum [b] prima, quæ ad interiorem oculi angulum conſpicitur, alter ex frontis uenam cōſtituentibus, ramus eſt, quo ſecto induratæ (ait Galenus) phlegmonarū in oculis reliquiæ mirifice iuuantur. [c] Altera uero, inter exteriorem oculi angulum, & aurem colloca-

ta,temporalis & pulſatilis uena dicitur: uena quidem, quod ſanguis qui ab ea profluit, præterea quod eiuſdem ſit ſubſtantiæ, & coloris, cum eo qui in cæteris uenis eſt, neq; in altum neq; cum ſtrepitu proſiliat, ſed imū petat, pulſatilis uero quoniam arteriæ ita incūbat, ut cum ea pulſare cōſpiciatur.[d] *Tertia autem iuxta oculi paruum angulum, paulo ſupra oſsis iugalis extuberantiam, nihil ſibi peculiare uindicans, reperitur: Nemo eſt qui noſtris temporibus, aliter quàm hirudinibus, ſanguinē extrahat: perinde ac ab eiuſdem quoq;*[e] *ramulo, qui paulo inferius ſitus eſt, quàm ſit ſuperior auris pars, ad oſſis iugalis extuberantiam: Atq; hāc in longis capitis, uel oculorum morbis diuidere conſueuerunt. In capitis itaq; doloribus ab internis narium uenis, antiqui mittere ſanguinem conſueuerunt, uel ſcalpelli mucrone illas præcidentes, quod pauci nunc facerēt, uel quibuſdam aſperis irritantes diſrumpētesq; illas: quod miniſtri noſtri effeminatiores tutius eſſe exiſtimant: Nactæ uero uenæ iſtæ originē ſunt, cum à ſobole exterioris portionis iugularis externæ, tū a ramulis interioris portionis eiuſdē iugularis externæ: qui in tunicam narium amplitudini obductam, digeruntur: à quibus poſtmodum nō negligendæ ſoboles caluariam petunt. Has autem quo minus in conſpectum ueniunt, nullis notbis ſignare ſtuduimus.*[f] *A uena poſt aures etiam, quæ eiuſdem iugularis ſoboles eſt, ſanguinem hyrudinibus exhauriunt: pauci etenim, uel etiam nulli ſcalpello eam tangere audent; immo tanta tonſorum ignauia eſt, ut minime eam inquirentes ſat ſe feciſſe exiſtiment, dummodo poſt aurem hyrudines appoſuerint.*[g] *Sub lingua uenæ: utrinq; una ſectioni paratæ, in anginis ac faucium inflammationibus con-*

ſpiciuntur, quæ ab eo ramo exterioris iugularis uenæ ſui late ris ortum ducunt, qui quum ad fauces uſq;, iuxta inferioris maxillæ humiliorem ſedem, ſub aurium regione contenderit, portionem ad oris interiora trāſmittit, à qua & in linguam ſurculi iſti deriuantur: qui quibuſdā ob inſignem notabilemq;, quā habent nigredinē, uenæ nigræ ſunt appellatæ, quarum gratia, quoniam aliter oſtendi non poſſent, linguam ab ore auulſam, cæteriſq; omnibus partibus ita liberatā fecimus, ut facile conſpici posſint: hæ autem facile etiam uidentur, ubi quis hiante ore linguam ad palatum duxerit.[bh] *Venas uero iugulares exteriores, ea delineaui ratione, qua frequentius cernuntur; ſi quidem non me latet, non pari ſemper modo (quod in uociferantibus, aut alias ui ſpiritum cohibentibus, & gracilibus corporibus obſeruari poteſt) eas per collum deferri. Iſtæ igitur cum a clauiculis emergunt, ſubtercutim, ductu ſatis manifeſto aſcendunt: quas ob uetuſtam lipitudinem, aduerſa ſcalpelli parte ſcindere oblique, conſueuerunt, non multum quidem amplo uulnere, quoniam difficillime inde erumpens ſanguis cohibeatur. Harum igitur alteram ſecaturus, in oppoſitum ſecandæ, collum flecti iubeat, quo ea magis tendatur, manifeſtiusq; ſeſe exhibeat. tumq; ut omne periculum uitet, ſcalpello utatur, qui utrinq; alas, quo minus altius penetrare poſſit, habeat: nam eo uena, ne ſi dormitans quidem quis agat, ea parte tantū ſcalpelli occurrens uulnerari poteſt. At uerum ſi fatear, neminem adhuc uidi has ſecaſſe. Supereſt autem, quoniam de his non omnes eandem habeant ſentētiam, quædam ad clariorem Authorum intelligentiam admonere. Iugularias ergo uenas (Græcis ſphagitidæ uocatæ) quidam appellāt, quæ ſtatim in*

thoracis

*thoracis amplitudine ſub ſumma pectoris oſſis ſede,bipartita
caua,producuntur. Alij uero nõ totas illas,ſeu integros eius
diuiſionis truncos,iugularias uenas nuncupari uolunt, ſed id
demum, quod ex ijs iam ſupra clauiculis ceruici intextum cer
nitur. In Arabum interpretibus iugularias ita fore appella-
tas legimus guidez;guades,& corrupta uoce grandes ſphra
gitidas,iuueniles,penſiles,organicas,ſubetticas, uertiginoſas,
apopleticas,& uenas ſomni: atq; ita tam interiores,quàm ex
teriores appellitant:& has quidẽ patentes, illas uero immer-
ſas,& ocultas. Due totius ſunt manus uenæ,tum [i] ea quæ per
axillam in ipſam manum fertur,quam axillarem,& cubiti in-
ternam Galenus uocat: Tum [k] ea quæ per clauiculam, quam
humerariam & cubiti externam ille met nominauit, illam alij
baſilarem,alij aſillarem baſilicam alij,alij iecorariam,alij ma
iorem,alij hepaticam,alij regiam appellant. Hanc quidam ce
phalicam,& quidã capitis uenam (quod idem eſt) capitalem
ue uocant. Sed enim de utraq; noſce oportet,non paruã utri-
uſq; portionem ſemper ad flexum, qua brachium cubito com-
mittitur peruenire: ubi ex ambobus conſurgit [l] uena, quam co
munem,quia axillari,& humeraria conſtituitur, merito ap-
pellamus,uulgus tamen medianam uocat,etiam ſi Græci, &
Latinorum præcipui ramos qui hanc comunẽ efformant,me-
dias & obliquas nuncupauerint, quæ eadem quibuſdam cor-
poralis: nigra Auicennæ: mediſtina Haliabati: matrix ue-
na Raſi & cardiaca uocatur. Cæterum nõ ſemper eundem
harum uenarum poſitum eſſe, nec equalem eſſe crasſitudinem
ſciendum eſt. Huius autem rei, tres ſunt ferè differentiæ:
primam uero nos (quia in plurimis uiſatur) delineare ſolum-*

modo ſtuduimus: in capitis igitur morbis humerariam incidimus, in his qui infra ceruicem affligunt alariam; media utriſq; conuenit: Verum illud conſiderandum uenit interiori, & alariæ dictæ uenæ per totum arteriam ſubijci: Mediæ neruum; ſuperior quæ & humeraria dicitur periculi expers eſt. Ligamine igitur arcto partem aliquam circa brachij muſculos deligari oportet, et frictione manuū alternãte, replætam uenam uſui accommodam intrepidæ per totam ipſius latitudinem ſolam diuidere; etenim maiores hac plagæ egræ cicatricem admittunt: arctæ nimium inflammationem experiuntur, præter quam quod craſſioris ſucci tranſitum impediant. In quibus autem & ſecundo, & tertio die, interim uero, & quarto ſanguinem detrahendum eſſe metuimus, obliquius uena ſecari debet, quo manus inflexu dehiſcens, non protinus cicatrice obducatur. Eſt itaq; præterea ſemper humeraria cæteris omnibus latius ſecanda, alias inflammationis periculum inſtat. Cauendumq; ne bis ter'ue (quod ſæpius tonſores ignaui faciunt,) incõmodæ ſcalpello feriatur, quo enim tutius hæc abundãtem ſanguinis fert euacuationem, eo facilius ab omnibus etiam læuibus incomodis læditur. Quo autem frequentius ex interna cubiti uena ſanguis mittitur, eo prudẽtior miniſter eſt eligendus: ſi quidem huius uenæ ea portio, quæ ad flexum peruenit, ſubiectam aliquouſq; arteriam cõtinet: quam in macilentis naturis, magniſq; pulſibus præditis, tactu motum aliquatenus indicante deprehẽdimus. Quare quum ſanguis detrahendus eſt in his ſane' qui totam manifeſto uenam habent conſpicuam, quam longiſſime ab arteria recedendum eſt. In quibus autem id quod arteriæ incumbit ſolum ſpectabile eſt: reliquum

uero totum, conſpectumq; effugit, diligenter attendendum eſt, primo ne dum brachium per ſe adſtringitur, regio arteriæ uicina in tumorem notandum atollatur: ſecundo ne alia quæpiam diſſecetur. Nunquam enim uena hæc loco tumenti eſt ſecanda, quoniam arteriam latam, & ualidam ſub habeat, quæ quum plurimum intumuerit ſimul uenam extollit, circundatq;, unde accidit uenam in gibam arteriæ partem elatam, magis maniri, quàm attolli, adeo ut ſcalpellus mediocriter iniectus, pro ut ſolet illidi, demittiq; illam quidem totam ſubito penetret, ſubiectam uero arteriam conuulneret, quare conſilium eſt ab hac recedere ad uicinarum aliquam maxime ex his quæ ad cubiti os defferuntur. Sin autem ex his quoque nulla cernatur,[m] *eam adibitis quæ in flexu ex uenarum coitu facta ad radij ſuperiora peruenit. Si hæc occultatur*[n] *illam feries quæ ab humeraria ad cubiti flexum porrigitur. Quod ſi hæc non appareat,*[k] *eam diuides, quæ ab ipſa in flexum deducitur. Si nec ipſa,*[o] *illam quæ ſurſum ad radium obliqua expanditur. Si nec illa ſe oſtendit,*[p] *uenam ab axilla ad cubiti flexum procurrentem incides: quæ accommodatisſima eſt, ijs qui partibus infra clauiculas ſitis laborant: ſicuti & humeraria, ijs qui in ſuperioribus: & utriſq; communis quæ ad radij ſuperiora conſcendit. Illud autem animaduertere operæpretium eſt, ut altera harum alterius nomine inciſa, quæ ſecta fuerit paulo ſupra inciſionem digito comprimatur, quo minus qui ſanguis in ea continetur effluat, ac ita per eius inciſionem uenæ, quam exinanire intendimus ſanguis traducatur. Et ſi uenarũ quæ ad ſummæ manus cutẽ ueniunt, eo uaria ſeries ſit, ut ꝙ difficillime in eodẽ homine etiã eadem in utraq;*

manu comperiatur. Plurimum tamen,[m] quod uas ex humera-
ria, et magna uena conflatur, in altiorem radij partē aſcen-
dit, ac dein priusq̄ mediam radij appendicis ſedem acceſſerit,
ſupra radium aliquanto ante illius cum brachiali articulum,
[q] in duos ramos diffunditur, ut duo hæc uaſa, græcorum alijs
γ (non autem Γ) alijs uero γ, & Λ etiam referrant. Quip-
pe[r] alterum uaſorum directæ, ad magnum extēditur digitum.
[s] Alterum uerſus paruum declinat. In manu autem uterq; ra
mus uariæ diuaricatur.[r] Alter enim iſtius ſectionis ramus,
qui elatior eſt,[t] portiunculam ad internam brachialis ſedem
uerſus policis radicem diſpenſat,[u] Quod uero elatioris rami
reliquum eſt, exterius inter policem & indicem ſurſum aſcen-
dit: atq; hic in uarias ſoboles, inuicem aliquādo unitas, aliquan
do autem rurſus ſeiunctas diſpergitur.[s] Alter uero ramus,
qui inferius γ aut Υ caput conſtituit, indicis, & medij, & ali-
quouſq; anularis, ſedem petit, in uarias quoq; ſoboles partitus.
Atq; uos hoc loco admoneo, quod[x] ſoboles rami communis
uenæ & minimo, & medio exporrecti, ſalubris Haliabatis,
& Sceylem Auicēnæ appellatur: licet alias apud Arabes
& Barbaros illam Sceylem uocari obſeruauerimus,[y] quæ iu
xta brachiale ab humerariæ ramo, & axillaris uenæ propa-
ginæ conſtituitur; cui eadem quæ axillari medicorum uulgus
nomina imponit; hāc quoq; ſaluatellam, & ſalubrem uocans.
Quamq̄ rurſus communis uenæ[x] ramum uerſus policis et indi
cis regionem exporectum alij ſaluatellam uocent, huic eadem
quæ humerariæ nomina largientes: ab harumq; altera, in ocu
lorum, & capitis affectibus ſanguinem mittunt, & ab altera
potisſimum tamen ſiniſtræ manus, in lienoſis affectionibus;

Vtræq; autem ubi ſecandæ ſunt, aqua tepente prius ſunt fo-uendæ. Ad crura itaq; inſignes duo rami uenarum diſtribu untur,[e] alter ad ipſorum internã regionem, & alter ad exter-nam: quos utrosq; ubi maleolos attigerint, appellat Galenus maleoli uenas, cum appẽdice tamen interioris, & exterioris, pro ut alter eſt ad exteriorẽ, alter uero ad interiorem. Vul-gares medici & externam ſciam & ſciaticam uocant, quod in iſchiæ affectibus præciſa conferre credatur.[z] Internam uero ſaphenam quæ pudendorũ morbis ſecta iuuat, he autẽ ut quũ ſecandæ ſunt, pleniores appareant, haud ſecus ꝙ manus uenæ tepente aqua fouẽdæ ſunt. At qui in cruribus comunis uenæ locum tenet † poplitis uena, quam tamen proprie in renum cru ciatibus, ubi ſcilicet iam propria nephritis infeſtat, atq; ubi iſ-chiadas ſiue coxendices non à frigore, ſed impletis ſanguine, quæ in coxa ſunt uenis, proueniunt, incidunt. A uenis etiam quas hemoroides appellamus, hẽ autẽ ad anum ſunt, non raro ſanguis craßus, et feculentus hyrudinibus exſugitur. Verum & has aliquando non quidem ſolum, ut ſanguine euacuamus; ſed ut eas affectas curemus candentibus ferramentis, interim tamen una aut altera adſeruatis, præcidimus urimusq;.

RERVM SANGVINIS EVACVA *tioni neceſſariarum, Breuis expoſitio.*

CVcurbitularum duo genera ſunt,[a] Vitreum et [b] corneũ. Quæ autem nobis uitrea eſt, antiquioribus Aenea fuit. Vitrearum igitur aliæ [c] altera parte patent, [d] altera clauſæ ſunt. Aliæ uero præter [e] os quo affigũtur, in ſuperiori [f] par-te foramen quoq; habent, quod & corneis quoq; alias, comu

ne fuit,licet uſu uario. In uitream linamentũ ardẽs conijcitur, ac ſic [ee] os eius corpori aptatur,imprimiturq́;,donec inhereat: ubi inhæſit,ſi conciſa ante ſcalpello cutis eſt, ſanguinẽ extrahit:ſi integra eſt ſpiritum,opere abſoluto [a] quæ foramen non habet remouetur paulo ex altera parte cuti cõpreſſa exalante ſcilicet contento ſpiritu,[af] quæ autem foramen habet eo recluſo,ſic & quæ corneæ ſunt,tametſi applicandi potius quàm remouẽdi eas nomine antiquioribus illæ perforarentur,ubi.n. eas per ſe corpori impoſuiſſent,deinde ea parte qua exiguũ illud foramen eſt,ore ſpiritum adducebãt ſuperq́; cera cauum id claudebant. Cucurbitula poteſt euacuare materiam,dolorem ſoluere minuere phlegmonem,inflationem diſcutere,reuocare appetentiam,uentriculo infirmo robur recuperare, animi liberare deliquio,ab alto fluxiones transferre, reſiccareq́; ſanguinis eruptiones cohibere,facultates menſium corruptrices extrahere,ac deniq́; menſes ipſos leuare. Scarificandæ autem cuti [g] ſcalpellus raſorius accommodus eſt. [h] Hirudinubus,ſciendum eſt,non eum qui in profundo eſt ſanguinẽ, ſed tantum quo caro,eſt imbuta exſugi, recens uero captas diem ad minus unum adſeruamus,pauculoq́; ſanguine paſcimus,iam autem pars cui admoueri debẽt,nitro prius perfricatur, aſperis'ue quibuſdam, uel unguibus etiã ſcalpitur, mox in uas purum aquæ tepidæ latiq́; oris illis iniectis,deinde ſpongia comprehenſis uiſcoſitate qua abundant deterſis,manu applicãtur: uel ſi non ita commodæ admoueantur in [ib] canulam æneam, aut argenteam,tube formæ ſimillimam mittuntur, atq́; canula quæ utrinq́; forata eſt altera parte corpori admouetur,ut intra eam,minus huc illuchq́; hirudo uagans infigatur. Quod ſi

*parum depaſcantur, forfice cauda præciditur: nam effluente
inde ſanguine, trahere non deſiſtent. Cæterum quicquid ad
hoc ſpectat à Galeno diſcas licet, in libello proprio huic rei
adſcripto.*

*Vt autem omnia in mittendo ſanguine incommoda uitari poſ
ſint, miniſtrum idoneum habere danda opera eſt, qui profunc
das, non minus ac eminentes uenas incidere nouerit. Ad hæ-
quũ anguſtia et latitudo ſecandorũ uaſorũ, tenuitas et craſſi
tudo euacuãdi ſanguinis non utiq; equale ſemper foramen de
ſiderent, placet, magisq; laudo, ut [k] acuto utatur cultello (uul
go lãceola dicitur) q̃ ferro acute ſecuris inſtar recuruo (mos
chettam tonſores uocãt.) Qui etenim hoc utuntur iuxta phle
botomi latitudinem, eiuſdem latitudinis ſemper foramen effi-
ciunt, & ex ualidioris digiti impulſu, penitiores partes, haud
difficile perforant: qui uero [k] acuto cultello utuntur, tantum
abeſt ut huic periculo ſubiaceant, ut etiam eis facillimũ ſit la-
tam, uel anguſtam pro libito uenæ ſectionem efficere, quippe
perpenſo prius conſpicuo, uel profundo ipſius poſitu, non ma
gis extra policis, & indicis ſummitates cultellum eminere per
mittent, quã interiectæ cutis, & aliarum partiũ ſpiſſitudo re-
quirat: itaq; diſpoſito ꝓ rei exigẽtia ad hunc modũ cultello,
non eſt, quod amplius timeatur ſubiectas partes perforare,
quandoquidem digiti prohibeant ultra uenæ cauitatem fer-
rum pertingere. Quinetiam cûm duriores uenis ſint arteriæ
nec tam promptæ ſectionem admittant, ubique ſiue paruas ue
narum more dumtaxat ſecare, ſiue magnas laqueo prius ex-
ceptas incidere opporteat, multo facilius ac tutius id [k] re-
cto cum phlebotomo, quàm cum recuruo fieri poterit.*

Laudamus itaq; uel recto uel curuo quis cultello utatur; eos utrinq; alatos eſſe. Denique pro libito, euacuato ſanguine, uaſis inciſio hinc inde digitis cõprehenſa læuiter exprimi debet, ut ſi quid ſanguinis inter ora ipſius interciderit, expurgetur, neq; ibi computreſcat, ac poſtea ſanguis compeſcendus eſt, recluſum uas[m] bombice obturando,[n] faſciamq; tenuem, & læuem mediocriter ſuperſtringendo.[o] Catinum etiam hac parte delineare non præterimus: ut recorderis eum tepida aqua plenum cum manuũ, tum pedum uenis fouendis accommodum, immo & neceſſarium eſſe.

52 62230

526223